ANTISIXTVS.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LONDINI,
Excudebat Iohannes Wolphius.
M. D. LXXXX.

Th
4°A-18.

ANTISIXTVS.

LONDINI,

Excudebat Iohannes Wolphius.

M. D. LXXXX.

SIXTI V. PONT. MAX. DE HENRICI TERTII MORTE, SERMO.

Romæ in Consistorio Patrum habitus, 11. Septembris. 1589.

ANIMO meo sæpe, ac seriò reuoluens, mentisq; aciem intendens in ea, quæ nuper Dei voluntate acciderunt, videor mihi verè posse illud Prophetæ Abacuch vsurpare: Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur. *Mortuus est* Rex *Francorum per manus Monachi. Nam ad istud potest rectè applicari: licet de alia re, nempe de incarnatione Domini, quæ omnia mira, ac mirabilia superet, Propheta propriè locutus sit, sicut & Apostolus Paulus eadem verba Actorum* 13. *ad Christi resurrectionem verissimè refert. Quando Propheta nominat opus, non vult innuere aliquid vulgare, vel ordinarium, sed rarum,*

insigne, ac memorabilè facimus; quomodo de creatione mundi, Opera manuum tuarũ sunt cœli. *Item*, requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat. *Cum verò factum ait, eo verbo tale aliquid in scripturis exprimi solet, quod non temerè, casu, fortuna, aut per accidens euenire dicitur, sed quod expressa Dei voluntate, prouidentia, dispositione, ac ordinatione obuenit. Vt cum dicit Saluator*, Opera quę ego facio, vos facietis, & maiora horũ facietis. *& similia in sacris literis plurima. Quod autem loquatur in præterito factum esse, id more aliorum Prophetarum facit, qui propter certitudinem euentus solent sæpe de futuris, ac si iam facta essent, prædicere. dicunt enim Philosophi, res præteritas esse de necessitate, præsetes de esse, futuras de possibili tantum: ita illi loquuntur. Propter quam certitudinem Isaias Propheta longè ante vaticinatus de morte Christi, sic dixit, sicut in Act. Apostolorum ca. 8. etiam recitatur*, Tanquam ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus coram tondente se, non aperuit os suum &c. *Atq; hoc, de quo nunc verba facimus, & quod his diebus nostris euenit; verè insigne, memorabile, & penè incredibile*

dibile opus est, nec sine Dei Opt. Max. particulari prouidentia, & dispositione perpetratum. Occidit Monachus Regem, non pictum, aut fictum in charta, aut pariete, sed Regem Francorum in medio exercitus sui, milite & custodia vndique septum, quod re vera tale est, & eo modo effectum, vt nemo nunc credet, cum narrabitur, & fortasse apud posteritatem pro fabula reputabitur.

Quod Rex sit mortuus, vel etiam peremptus, facilè creditur, sed eum sic sublatum, vix est credibile: sicut Christum natum ex fœmina statim assetimur, sed si addas porro ex fœmina Virgine ortum esse, tunc secundum hominẽ non assentior: ita etiam quod mortuus sit Christus facilè credimus, sed quod mortuus iã resurrexerit ad vitã, quia ex priuatione ad habitum non fit regressio, redditur secundũ intellectum humanum impossibile, & propterea incredibile: quod homo ex somno, ex morbo, etiam ex syncope, vel extasi resuscitatur, quia id sæpe secundum naturam fit, humanitus credimus, sed resurrexisse à mortuis, ita secundum carnem videbatur incredibile: Vt Paulo apud Philosophos Athenienses de hac resurrectione differenti, improperarent, quod esset

nouorum dæmoniorum annuntiator: & alij, ſicut D. Lucas narrat, irridebant, alij dicebant, Audiemus te de hoc iterum. De talibus igitur, quæ ſecundum naturæ leges, & ordinarium curſum fieri non ſolent, dicit Propheta: quod nemo credet, cum narrabitur, ſed huiuſmodi tantum fidem adhibemus ex conſideratione omnipotentiæ diuinæ, & per ſubiectionem intellectus noſtri in obedientiam fidei, & obſequium Chriſti. Nam hoc modò quod erat incredibile naturaliter, fit credibile. Igitur qui ſecundum hominem non credo Chriſtum de virgine natum, tamẽ quando additur hoc factum eſſe ſupra naturæ terminos per operationem Spiritus Sancti, tunc vere aſſentior, & credo. Ita quando dicitur Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe, humanitus nõ credo, ſed cum id factum eſſe per diuinã (quæ in ipſo erat) naturam affirmatur, tunc omnino credo. Eodem modo licet tantum Regem in medio exercitus, tot ſtipatum militibus ab vno ſimplici, & imbelli religioſo occiſum eſſe, ſecundum prudentiam carnis, & intellectum humanum ſit incredibile, vel omnino improbabile, tamen conſiderando ex altera parte grauiſsima Regis peccata, & ſpecialem Dei omnipotentis in hac re

prouidentiam, & quàm inusitato, & mirabili modo iustissimam voluntatem suam erga ipsum impleuerit, omnino, & firmiter credo. Rem etenim istam tam grandem & inusitatam alio referre, quàm ad particularem Dei prouidentiam (sicut quosdam ad alias causas ordinarias, vel etiam ad fortunam, & casum, aut similes accidentarios euentus perperã referre intelligimus) prorsus non licet, sicut ij, qui totius facti seriem pressius obseruant, facile videre possunt, vbi plurima interuenerunt, quæ ab homine, nisi Dei speciali concurrente auxilio, expediri non quiuerant. Et sane Regum, ac Regnorum rationes, cæteraque tam rara, tantique momenti negotia à Deo temerè administrari non est existimandum. Sunt in sacra historia nonnulla huius generis, nec eorum quidquam potest alio, quàm ad Deum authorem referri: tamen nihil est, vbi magis claret superna operatio, quàm in isto, de quo nunc agimus. Lib. Macha. 1. ca. 6. legimus, Eleazarum, vt Regem, populi Dei persecutorem, ac hostem tolleret, seipsum certæ morti obtulisse. Nam in conflictu conspiciens Elephantem cæteris eminentiorem, in quo videbatur Rex esse, concito cursu in mediam hostium turmam se conijciens,

ijciens, binc inde viam vi sternens, ad belluam venit, atque sub eam intrauit, subiectoq; gladio peremit, quæ cadens oppressit Eleazarum & extinxit. Hic quoad zelum, & animi robur, reiq; tentatæ exitum, aliquid huius nostri simile cernimus, tamen in reliquis nihil est comparabile; Eleazarus erat miles, armis & pugnæ exercitatus, in ipso prælio constitutus, ardoréque animi, & furore (vt fit) accensus: iste Monachus prælijs, ac pugnis non erat assuefactus, & à sanguine, vitæ suæ instituto ita abhorrens, vt nec ex venæ incisione fusum cruorem forsan ferre potuerit. Ille nouerat genus mortis, simulq; locum sepulturæ suæ, nempe quod ruina belluæ inclusus magis, quàm oppressus suo sepeliretur triumpho: Iste mortem, ac tormenta crudeliora, & incognita expectabat, sepulchroq; se carituru non dubitabat. Sed & alia multa dißmilia sunt. Nota quoque est insignis illa historia sanctæ mulieris Iudith, quæ & ipsa, vt obsessam ciuitatem suam, ac populum Dei liberaret, cœpit consilium, Deo sine controuersia suggestore, de interimendo Holopherne hostilis exercitus principe, quod & perfecit. In quo opere licet plurima, & apertißima supernæ di-

rectionis

rectionis indicia appareant, tamen longè maiora diuinæ prouidentiæ argumenta, in istius Regis occisione, ac ciuitatis Parisiensis liberatione conspicere licebit, sicut, certè quoad hominem, hoc fuit illo magis difficile, vel impossibile. Nam illa sancta fœmina intentionem suam aliquibus viris presbyteris aperuit, portamque ciuitatis, & custodiam pertransijt illis præsentibus, ac approbantibus, vt proinde scrutationi, vel explorationi (quæ obsidionis tempore solet esse tam exacta, vt ne musca ferè sine examine egredi queat) non potuerit esse subiecta. Apud hostes, verò, per quorum castra, & varias excubias transeundum erat, sæpius explorata, & examinata cum fœmina esset, nec quidquam haberet vel literarum, vel armorum, vnde suspicio oriri potuit, dèque aduentu in castra, & à suis, fugæ probabiles reddens rationes, facilè dimittebatur. Sicut tam propter easdem caussas, quàm propter sexum, & formæ excellentiam, ad Principem impudicum introduci, & in temulentem, facile, quod signauit, perficere valuit. Ita illa. Hic verò Religiosus, aggressus est, & confecit rem longè maiorem, pluribusque impedimentis, ac tantis difficultatibus, periculisque obsitam, vt nulla

prudentia, aut astutia humana, nec alio modo, nisi aperta Dei ordinatione, ac succursu, confici potuerit. Debebant obtineri litteræ commendatitiæ ab ijs, qui erant contrariæ factionis, transeundum erat per eam vrbis portam qua itur ad castra hostium, quæ ita sine dubio in illis obsidionis angustijs custodiebatur, vt cuncta haberentur suspecta, nec cuiquam sine curiosissima exploratione de litteris nuncijs, negocijs, armis pateret exitus. Sed iste (res mira) vigiles pertransijt sine examine etiam cum litteris credentiæ ad hostem, quæ si fuissent interceptæ à ciuibus, sine mora, ac sine vlteriori iudicio de vita fuisset actum, atque apertum hoc diuinæ prouidentiæ argumentum; sed maius miraculum est illud, quod idem mox sine omni exploratione transierit quoque castra hostium, varias militum excubias; ipsamque corporis Regis custodiam, ac totum denique exercitum, qui ferè erat conflatus ex hæreticis, ipse Religiosus existens, & in habitu ordinis sui qui ita erat exosus talibus hominibus, vt in illis locis, quæ paulò ante prope Parisios vi cœperant, Monachos quosque vel occiderint, vel pessimè tractauerint. Iudith erat fœmina, miniméque odiosa; tamen

examinata ſæpè, illa nihil ſecum tulit, vnde ſibi oriretur periculum: iſte Monachus, & propterea odioſus, ac ſuſpectiſſimus etiam cum cultello ad hoc propoſitum præparato non in vagina condito (vnde poterat eſſe probabilis excuſatio) ſed nudo, ac in manica abſcondito, quem ſi inueniſſent, mox fuiſſet in crucem actus. Iſta omnia clariora ſunt particularis prouidentiæ diuinæ argumenta, quam vt negari queant: nec aliter fieri potuit, quàm vt à Deo obcæcarentur oculi inimicorum ne agnoſcerent illum: Nam, vt antea diximus, licet quidam iſta abſurdè tribuant fortunæ, aut caſui, tamen nos hoc totum non alio referendum cenſemus, quàm in diuinam voluntatem. Nec profectò aliter factum crederem, niſi captiuarem intellectum in obſequium Chriſti, qui hoc modo admirabili, & liberare ciuitatem Pariſienſem (quam varijs vijs intelleximus fuiſſe in ſummo diſcrimine, maximiſque anguſtiis conſtitutam) & iſtius Regis grauiſsima peccata punire, eumque tam infauſta, & infami morte è medio tollere ſtatuit. Atque nos, dolentes ſane, aliquoties prædiximus fore, vt quemadmodum erat familiæ ſuæ vltimus, ita aliquem inſuetum, & dedecoroſum vitæ exitum eſſet habiturus.

biturus. Quod me dixisse non solum Cardinales Ioiosa, Lenocortius, & Parisiensis, sed etiam, qui tunc apud nos residebat, Orator, testes esse possunt. Neque enim hic mortuos sed viuentes in testimonium huiusmodi verborum nostrorum adhibemus, quorum isti omnes probè meminisse possunt. Quidquid tamen in hunc infœlicem Regem hoc tempore dicere cogimur, nullo modo volumus, vt pertineat ad nobilissimum illud Galliæ Regnum, quod nos imposterum sicut hactenus, semper omni paterno amore, ac honore prosequemur. De persona ergo Regis tantum ista cum dolore diximus, cuius infaustus finis eximit quoque ipsum ab ijs officijs, quæ solet hæc sancta sedes (quæ est pia Mater omnium fidelium, & maximè Christianorum principum) Imperatoribus & Regibus post mortem exhibere, quæ pro isto libenter quoque feciss-semus, nisi id fieri in hoc casu sacræ scripturæ vetarent. Est, inquit S. Ioannes, peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, quod vel intelligi potest de peccato ipso, ac si diceret, pro illo peccato, vel pro remissione illius peccati nolo vt quisquam roget, quoniam non est remissibile: vel, quod in eundem sensum redit,

pro

pro illo homine, qui peccat peccatum ad mortem non dico vt roget quis. De quo genere etiam Saluator apud Matth. quod illi, qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Vbi facit tria genera peccatorum, nimirum in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum, atque priora dico esse minus grauia, & remissibilia, tertium verò irremissibile. quæ tota differentia, sicut ex scripturis scholæ tradunt, oritur ex distinctione attributorum, quæ singula singulis Personis Sanctissimæ Trinitatis appropriantur. Licet enim, sicut eadem est essentia, sic eadem quoque est potentia, sapientia, & bonitas omnium personarum sicut ex Symbolo S. Athanasij didicimus, cum ait, Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; tamen per attributionem, Patri applicatur Potentia, Filio Sapientia, Spiritui sancto Amor: quorum singula eo modo, quo attributa dicuntur, ita sunt propria cuiusque personæ, vt in aliam referri non queant. Ex quorum attributorum contrarijs, & distinctionem, & grauitatem peccatorum dignoscimus. Contrarium Potentiæ, quæ attribuitur Patri, est infirmitas, vt proinde

biturus. Quod me dixisse non solum Cardinales Ioiosa, Lenocortius, & Parisiensis, sed etiam, qui tunc apud nos residebat, Orator, testes esse possunt. Neque enim hic mortuos sed viuentes in testimonium huiusmodi verborum nostrorum adhibemus, quorum isti omnes probè meminisse possunt. Quidquid tamen in hunc infœlicem Regem hoc tempore dicere cogimur, nullo modo volumus, vt pertineat ad nobilissimum illud Galliæ Regnum, quod nos imposterum sicut hactenus, semper omni paterno amore, ac honore prosequemur. De persona ergo Regis tantum ista cum dolore diximus, cuius infaustus finis eximit quoque ipsum ab ijs officijs, quæ solet hæc sancta sedes (quæ est pia Mater omnium fidelium, & maximè Christianorum principum) Imperatoribus & Regibus post mortem exhibere, quæ pro isto libenter quoque fecissemus, nisi id fieri in hoc casu sacræ scripturæ vetarent. Est, inquit S. Ioannes, peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, quod vel intelligi potest de peccato ipso, ac si diceret, pro illo peccato, vel pro remissione illius peccati nolo vt quisquam roget, quoniam non est remissibile: vel, quod in eundem sensum redit,

pro

pro illo homine, qui peccat peccatum ad mortem non dico vt roget quis. De quo genere etiam Saluator apud Matth. quod illi, qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Vbi facit tria genera peccatorum, nimirum in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum, atque priora dico esse minus grauia, & remissibilia, tertium verò irremissibile. quæ tota differentia, sicut ex scripturis scolæ tradunt, oritur ex distinctione attributorum, quæ singula singulis Personis Sanctissimæ Trinitatis appropriantur. Licet enim, sicut eadem est essentia, sic eadem quoque est potentia, sapientia, & bonitas omnium personarum sicut ex Symbolo S. Athanasij discimus, cum ait, Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; tamen per attributionem, Patri applicatur Potentia, Filio Sapientia, Spiritui sancto Amor: quorum singula eo modo, quo attributa dicuntur, ita sunt propria cuiusque personæ, vt in aliam referri non queant. Ex quorum attributorum contrarijs, & distinctionem, & grauitatem peccatorum dignoscimus. Contrarium Potentiæ, quæ attribuitur Patri, est infirmitas, vt proinde

id quod ex infirmitate, seu naturæ nostræ imbecillitate committimus, dicatur committi in Patrem. Oppositum Sapientiæ est ignorantia, ex qua cum quis peccat, dicitur peccare in Filium, ita vt ea, quæ vel ex humana infirmitate, vel ignoratione peccamus, facilius nobis condonari soleant. Tertium autem attributum quod est Spiritus sancti nempe Amor, habet pro contrario ingratitudinem, vitium maximè odibile. Vnde venit, vt homo non agnoscat Dei erga ipsum dilectionem, aut beneficia, sed obliuiscatur, contemnat, ac odio etiam habeat. Ex quo tandem fit, vt obstinatus reddatur, atque impœnitens. Atque his modis multo grauius & periculosius peccatur in Deum, quam ex ignorantia, aut imbecillitate, proinde huiusmodi vocantur peccata in Spiritum Sanctum: & quia rarius, ac difficilius, & non nisi abundantiori gratia condonantur, dicuntur irremissibilia quodammodo, cum tamen sola impœnitentia sint omnino, & simpliciter irremissibilia. Quidquid enim in vita committitur, licet contra Spiritum sanctum, potest per pœnitentiam deleri ante mortem: sed qui perseuerat vsque ad mortem, nullum locum relinquit gratiæ, ac misericordiæ. Atque

pro tali peccato, ſeu pro homine ſic peccante, noluit Apoſtolus vt, poſt mortem oraremus. Iam ergo quia magno noſtro dolore intelligimus, prædictum Regem ex hac vita ſine pœnitentiam, ſeu impœnitentem exceſſiſſe, nimirum in conſortio hæreticorum, ex talibus enim hominibus confecerat exercitum ſuum, & quod commendauerat moriens regnum in ſucceſſione Nauarræ declarato hæretico, & excommunicato, necnon in extremis, ac in vltimo ferè vitæ ſpiritu ab eodem, & ſimilibus circunſtantibus petierit, vt vindictam ſumerent de ijs, quos ipſe iudicabat fuiſſe cauſſas mortis ſuæ. Propter hæc, & ſimilia manifeſta impœnitentiæ indicia, decreuimus pro ipſo non eſſe celebrandas exequias, non quod præſumamus quidquam ex hoc de occultis erga ipſum Dei iudicijs, aut miſericordijs, qui poterat ſecundum beneplacitum ſuum in ipſo exitu animæ ſuæ cõuertere cor eius, & miſericorditer cum illo agere, ſed iſta locuti ſumus ſecundũ ea, quæ nobis exterius patẽt. Faxit benigniſſimus Saluator noſter, vt reliqui hoc horrendo iuſtitiæ ſupernæ exẽplo admoniti, in viã ſalutis redeant, & quod miſericorditer hoc modo cœpit, benignè proſequatur, ac perficiat, ſicut eum facturum ſpera-

speramus: vt de erepta Ecclesia de tantis malis, & periculis, perennes illi gratias agamus. In quam sententiam cum dixisset Pontifex, dimisit Consistorium cum benedictione.

LAVS DEO.

ANTISIXTVS.

QVI patriæ aut parentibus vim intulerint, videre prisca sæcula plures: factũ qui probauerit, adhuc neminem. Nunc vnicus tandẽ æuo nostro prodijt parricida: Agnoscit Pontifex immane nefas, nocentemq; non liberat sed laudat. Falsum igitur iam illud, Sixte, licet vetus, *Scelera facilius fieri quam excusari*, seu te Papinianum velis, seu Caracallam potius, in te vtrumq; desijt esse verum. Euge merito tecum exclamem. *Factum est opus in diebus nostris*, oculis auribus sæuum, horrendum dictu: Iacet Europę rex maximus & potentissimus interemptus monachi fraude. Sed opus ne illud tantum? Immo facinus graue, nefariũ, atrox: Atq; eo atrocius quod non de plebe aliquis sed tu reip. Christianæ moderator, Christi vicarius,

cœlorũ ianuã, tantis criminibus patronus laudator cõmendator adfuisti. Enimuerò innoxias ſacerdotis manus & ab omni humano ſanguine licet nocentiſsimo ſuis legibus puras, quis Regio cruore ſtillantes ferat? Quis non execretur iugulati patriæ parentis reum? Non clamet Culeum irata plebs? Non ſerpentes? Non tarpeia ſaxa & ſi quid aliud expiandis monſtris datum? Exiguum tamen illud Sixte. Et quotã ſceleris partem putas? Minima eſt. Tibi totum debetur. Te vnum inuentum apud quem ſicarijs honos, parricidio laus ſit; apud quem non ciuem tantum ſed magiſtratum, non magiſtratum ſed principem impunè violaſſe nõ liceat modò ſed profit; apud quem breuiſsima ad cœlos via ſi quis Reges, humana numina, Magni Regis, magni Dei, viuas imagines, veneno ferro dolis proditione quacumque via ſuſtulerit, illud extremum puto, illud eſt, *Quod vix credat quiſquam cum narrabitur*. Quod Turcis nouum, quod inauditum Sarmatæ, Quod ſi qua gens eſt naſcenti conſcia Nilo, audiat ſimul & horreat. Nonne iſta magna in die-

bus

bus noſtris ſæua, dira? Magna quidem ni maiora ſequerentur. Quid trepidas Sixte? an quicquam grauius? Ita dico maiora, Ad ea nempe tempora venimus quibus verborum inopes ſcelerum abundantia faciat, vixq; culpæ nomine dignum quod olim crimine cenſebatur. Ita eſt, inquam, Nouum facinus non lectum non auditũ, tulere ſæculi noſtri fata. Simili proditione oppreſſum regem nulla ætas vidit. Eſt in ipſa cæde tamen quod indigneris potius quam quod mireris: Cur non idem furẽtis fortuita manus, quod proditoris meditatũ conſilium efficiat? ſunt quos moriturus aper, quos peremit incluſus retibus ceruus, huic malè inciſa vena, illi obiectus currentis equi pedibus porculus cauſam mortis dedere: tot denique, ſi ſpectes, funerum genera quot principum. Nouitatem iſtius non horreo ſed exemplum. Te Regum in Chriſto parentem (eo cognomine gaudes) in primogeniti filij grauiſsimo caſu, non dico non atratum, non luctu triſtem, non ploraſſe, non vocaſſe vltorem orbitatis Deum, ſed (ſecedat pietas.) Ipſius ſicarij

defensionē vltro suscepisse: auctoritate, argumentis, legibus exemplis nefarij gladiatoris innocentiam tutatum, in filij memoriam cadauer manes crudelissime iniectum, illud Sixte ne effari, ne audire, ne legere sanus queam. Deus bone vnum crimen video duo scelera duos parricidas, illius qui Reipub. parentem agressus est, huius qui filij interfectorem non modo non vlciscitur sed excusat, non excusat sed defendit, non defendit, immò extollit, immò exquisitissima comparatione illustrem cœlitibus ascribit. Discede iterum pietas, extra Romanum orbem iubet te Sixtus exulare: Eo imperante Scitas & Moscouitas, & si qua gens vltra Tanaim, Tigrimue iacet tibi quære. Hîc quite excipiat absq; infortunio, nullus erit. At inultam tamen sanctissimi principis mortem relinquere non virorum esset, Galli: superba etiam oratione de regis vestri capite Triumphantem quis ferat? Nihili sim vtique nisi vltor, nisi te digna rependam, Sixte. Auscultamodo atque vt de te deque carnifice tuo conscijsque omnibus, apud posteros

ſteros liqueat, prius magni principis caſum paucis & veris audi; Magnitudine ſceleris integri iudicabunt nepotes, neceſſariò conſcium fuiſſe, quicumq; defenderit.

Belli ciuilis primordia & cauſas Caroli noni tẽporibus varias tradidere, quibus cura fuit ſcribere res illius ævi, prout quiſque amore aut odio erga potentes. Omnibus tamen conſtat poſt Henrici exceſſum Guiſios fratres Franciſcum & Carolum Cardinalem libidine dominandi ſua primum, dein cuncta Regni conſilia corrupiſſe. Turbari prius imperia quam everti neceſſe eſt, Inde cepere initium. Potens erat & valida ea tempeſtate Regia domus, numeroſa fratrum prole multis etiam agnatis. Ad quos iura Regni tranſeunt ſine liberis defuncto Rege. His niſi ſublatis omnibus, vana Guyſiorum ſpes. Inter agnatos Ludouicus Condæus princeps, virtute & gratia magnus præcipuè metuebatur, vnus ſane qui iſtorum conatus & ſuſtinere, & eludere ſolus poſſet: Is bono ne an malo imperij fato dixerim ab authoritate Pontificia & antiqua Romana relligione pridem diſ-

 ceſſerat

ceſſerat puriorem vt aiebant ſectatus. Nam de reformandis hierarcharum erroribus multus tum temporis per orbem terrarum ſermo. Hunc primum adoriuntur obiecto corruptæ religionis crimine, quæ tum grauis & vehemens cauſa, hoſtemq; apoſtolicæ ſedis poſtulatum legibus primo, mox ferro & armis perſequuntur. Ille viciſsim nec animi, nec amicorum, nec auxilij egẽs, quippe ſparſa iam per gallicas vrbes nouæ religionis doctrina creſcenteque in dies ſuorum numero, adiutus etiam meliorum conſilijs queis inuiſa Guyſiorum ambitio, ſuſpectæ opes, vltro armatis armatus occurrit. Ex eoq; cœpere funeſta illa Catholicorum & Reformatorũ nomina regniq; letalis diuiſio, cuius partes in vnum redituras rurſus, niſi longa pace, ingenti pietate, remotiſq; procul auaritiæ & ambitionis cauſis non credam. Ita tumultu vndique excitato, qui tum facilè tamen comprimi poterat, niſi prohibuiſſet fatalis galliæ domus, bellum apertè aduerſus Condæum hæreticoſq; Guyzij poſcunt, Regem, matremq; Catarinam audaciſsimam fœminam

nam facilè ad arma persuadent, illum rerum inscium dum ludere liceat nihil negãtem, hæc dum imperet, Quoscunq; suis rebus aduersos putant, metu aut eiusdem criminis prætextu aula pellunt, cæteros spe predæ & nouarum rerum impellunt ad ciuiles discordias. Philippum prçterea Hispaniarum regem & tuos Sixte antecessores in partem vocant. Regi in inferiori Germania occupato otium & nihil nocituras Gallias, Pontifici aduersus sedis hostes perpetuum bellum pollicentur, hæc palã: ambobus secreto etiam meliora. Guisijs mens erat quod pace & otio & stante rep. arduũ Turbata & euersa planum facere, nec vana prorsus: sublatis quippe regijs principibus, quorum validissimus iam aperto bello petebatur, cæteros aut in prælijs casuros aut propter affinitatem Ludouici spe regni excidere facilè posse credebãt, quin deinceps Carolus eiusq; fratres vix pueri de medio tollerentur, nullus labor. Eo consilio ad arma ventum, ijsque facibus primum arsere publica incendia. Nondum venerant tamen extrema regni sara. Vt in humano

cor-

corpore grauis ſæpe præſentitur morbus, vaniſq; doloribus fatigantur vires priuſquam frangantur, ſic in imperijs accidit. Prius itaque deceſſêre ambo fratres, quam operi ſuo extrema manus impoſita foret. Obijt Franciſcus dum Aureliam obſidet anno ſexageſimo tertio ſuperſtitibus tribus liberis, Henrico Guiſio, Carolo Mænenſi Duce, & Ludouico Cardinale vix pueritiam egreſsis, ſed in quibus vt domeſticæ virtutis ſemina ſic nec vitiorum metus inerat, ijſque non tantum opes & ampliſsima patrimonia ſed ſpem maximi imperij, ſuas artes & belli ciuilis fomenta reliquit. Verum Leoninis catulis nondum paternę feritatis capacibus creuit interea Regia domus, ſicque verſis animis gallia omnis principes ſuos quos niſi infantes non viderat, iã adultos, iam fiduciæ, iam animi plenos, iam regendo orbi terrarum pares colere, ſuſpicere, adorare cœpit, Henricum præcipue quem & forma & ætas & clara in bello virtus exterarũ etiam gentiũ delatũ imperiũ vna commendabant. Ita pauliſper repreſſa inanis iſtorum ambitio, datúſq; alijs etiam

malis

malis locus Tractu temporis Carolus moritur, fatóne an veneno incertum, sed tantarum rerum seriem hic inserere non vacat. Certum tamen paulo antequam decederet belli tædio quo se vnum lacerari, opesque imperij exhauriri, ridente Italia & Hispania viderat, grauius in auctores inuectum adiecisse etiam minas, & hę fortasse intempestiui obitus causæ. Successit Henricus noster, quem tristiúsne emiserit, an è Polonia redeuntem Gallia exceperit lætius, dubium. Is fraterno exemplo doctus simul ac imperij res stabiliuit, animum ad pacis artes protinus conuertit. Vtique perpetuo verum est ciuiles motus regna affectantibus bonos, regnantibus nunquam. Hinc prima mali labes: nam vobis Sixte, quibus nil nisi ferrum & ignes cordi, dum securitati vestræ potissimum consulatur, quibus parum intererat quis teneret sceptra, quam partem, qua conditione, aut lege, modo vna cum imperio perirent qui vobis inuisi & infensi, regis consilium probari non potuit. Ita paulatim tot victoriarum, tot tusi in gratiam Romanæ sedis sanguinis obsoleuit memo-

ria, mox etiam inuidia creuit deprauatis continua Monachorum vociferatione plebis animis, ſanctiſsimum Principis votum miro calumniandi genere non tardantium modo, ſed corrumpentium. Ita facile fuit ſequuturis malis præbere anſam. Guiſius interea eiuſque fratres aucti ætate viribus & paterna gratia erga Catholicos, ijſdem primo ſe commendare, iamq; antea ſub Henrico nondum rege ſatis proſperè militauerant. Obuium quemque vel etiam de plebe minimum ſalutare, compellare, certiſſima ambitionis, animique res nouas molientis ſigna. Spargere rumores falſos quietis odio, quibus ſopitæ regni ſimultates ſuſcitarentur. Denique, Franciſco vltimo regis fratre ſeu fraude ſeu morbo extincto, per vrbes adhuc recenti Reformatorum ſanguine pene cruentas indeque vltionem metuentes volitare. Communem miſeriam lamentari, niſi tempore prouideatur poſt regis obitum, quem breui fore nimium veri affirmabant, ſibi in hæretici poteſtatem recaſuris ſæua dira omnia expectanda. Contra ſe velle oſtentare opes, & parata Italiæ Hiſpa-

ſpaniæque auxilia, quibus libertatem & religionis fidem tutentur. Ea comperta omnibus, ipſique etiam principi nota per varios indices iam inde ab anno ſeptuageſimo ſeptimo, impunitate tamen, vt res humanæ ſolent, mirum in modum creuêre: clementia, an fatali omnium ignauia factum, dicat poſteritas.

Anno 85. clauſis in Gallia Iani portis, nullo externo hoſte, nullis domeſticis, Guiſius Dux & tota Lotaringorum familia facta coniuratione arma capit. Cauſa belli, Regnum: prætextus & probabilis occaſio, Pietas, regni malè adminiſtrati cura, oppreſſæ plebis miſeratio, omnia in melius reformandi votum. Hæc data rebellioni facies, primoque ſcripto quod ſub iſtorum nomine prodijt multis verbis conqueſtum de publicis calamitatibus, de amicorum regis impotentia & immenſis opibus, de exhauſto ærario, auctiſque nihilominus tributis, ita vt iam ferendo oneri populus foret impar: nihil vltra. Pauca de religione de hæreticis, eaque obiter. Et proculdubio tot hoſtes vna excitari nolebant, rati ſatis inui-

diæ principem sibi è regni administratione contraxisse, indeque satis amplam bellis materiem. sanè constat priuato erga ipsum Principem, Ducemque Epernonium odio has turbas initio excitatas, fortuitasque immo leues irarum causas fuisse Deus bone in quarum vltionem tot cadauera, tot mortes, ipsius denique Regis & Regni funus vix fuêre satis. Verum moniti ab Hispano cui reddendæ in regno rationis exemplum non placebat, à te etiam Sixte nullum ex eo bello fructum nisi hæreticorum excidio sperantis, mutant signa, & paternis insidijs indicunt acre reformatis bellum. Simul adest Pontificium fulmen quo rex Nauarræus, (qui nunc Gallijs imperat) & Condæus princeps, inaudi ti, insontes nihil tale cogitantes ambo diuini humani regni spe, in æternum Apostolica benedictione carere iubentur. Non Deum tamen, nec Apostolorũ quempiam causæ iudicio ad fuisse palam est: Sixtúmque à Luca & Marco falsi postulatum, narrabat nuper Romę in consistorio, patrum vnus, nominis non memini. Tum itaque reformato libello, nihil de Rege aut regno

nisi

nisi magna & præclara, exquisitissimis verbis efferunt eius adolescentiam, monent pristinæ virtutis, adhuc recentem tot victoriarum, tot præliorum memoriam quibus hæreticos non semel represserit. Nondum quietis & otij veniſſe tempus, iuueni & firmo adhuc tanti belli finem, integram gentis internecionem deberi. Opus Rege Christianissimo dignissimum. Orbitatem insuper ei obijciunt suásque miserias, si post pijssimi principis casum (quem horrere conscij simulabant) hæretici imperia passuri forent: denique, quando vt vita & regno continuo cederet rogare, non honesta prorsus oratio foret, petunt saltem, vt Carolum Borbonium Cardinalem (is coniurationi ascitus Sertorianæ ceruæ instar lectica vectus populis ostendebatur) senem sexagenarium ætate & valetudine cassum hæredem sibi, repulso Nauarreo, instituat, fœdereq; cum Hæreticis rupto, arma paret, id nisi probet principis sui quidem nunquam imperia detrectaturos: Esse tamen sibi in manu ferrum, esse opes & auxilia, queis non hæreticos modo sed hæreticorum fautores vlciscantur.

cantur. Hæc præfatus Guisius, nec expectato quid rex insuper statueret, coactas interim aduersus reformatos verbis tantum copias, re ipsa recta in ipsum ducit, quascunque potest vrbes partim vi partim insidijs occupat, vbi tamen Luteri aut Caluini nomen ne auditum vnquam, ærarium deripit, noua tributa imperat, omnia denique hostilia exercet, vbi nullus hostis. Rex animi potius & sani consilij quam virium egens, sibi diffisus, quippe cui mira & falsa de Guisij copijs narrabant corrupti amici, auditoque solo hæreticorum nomine Catholicos omnes secessuros nisi prouideret minitabantur. Primo cunctari, suos ad se vocare, quæ ad bellum necessaria instruere: Matris tamen consilijs, quæ istis semper fauerat, victus, territus etiam vanis Iesuitarum superstitionibus, tandem non adductus sed attractus est. Ita pax Guysio data, aduersus Reformatos bellum institutum, quibus aut regno cedere aut vita intra statũ tempus edicto iubetur.

Sub finem eiusdem anni conscribitur ingens exercitus magno rerum omnium appa-

apparatu, Mænenſis Dux ei præficitur, miſſuſque in Aquitaniam parum proſpero ſucceſſu ſequenti anno redijt à fratre vt aiunt reuocatus, qui omnis moræ impatiens, ira, odio, ambitione, æquè diſtrahebatur: Non longè quærendos hoſteis clamitans; in limine adeſſe, vnius inuiſum ſibi regis caput, vnum obeſſe ſuis rebus, vnum omnibus omiſsis petendum. Sic iterum aduerſus regem, iam alijs bellis occupatum arma ſumuntur, & quod prima rebellione Guiſius exigere non potuerat, hac extorquet. Conqueritur Mænenſem deſertum in Aquitania, pecunia, milite, commeatu, fraudatum: Nempe qui, ne ſibi quicquam deeſſet, nunquam niſi exhauſto ærario ad exercitum iam vicinum hoſti mitti potuerat. Inde argumenta, prodi Catholicos, corruptũ prauis conſilijs principis animum, quos cariores habeat, ſibi infenſos, hæreticis fidos. Proinde niſi à ſe repellat, niſi palam Nauarreũ & Condæum exhæredet, palam ſibi certum ſucceſſorem deſignet, non eſſe quod vlterius boni omnes & pij Catholici, ſalutem ſuam principi diſsimulatiſsimo, omnia cunctan-

cunctanter agenti, bellum lingua pacem animo poſcenti commiſſam velint. Hæc ſparguntur, eoque prætextu denuo capiuntur vrbeis, parantur copiæ, nouáque denuo pace his pacandis opus. duobus hoſtibus ſimul eodem tempore Rex impeditus, cum alterutro ſaltem res componendas neceſſarium iudicans, iterum maternis conſilijs morem gerit, iterúmque illa auctore cum Guiſio conuenit. Pauca denegat, vrbeis tradit, ituras in Aquitaniam reformatorum ſedem copias deligi, noua & ſæua in eos publicari iubet: Denique ſic volente Deo in ſemet infœlix ruit, fidum à proditore, amicum ab hoſte vix diſcernens eodemque quo imperium fato periturus vt aiebat ſæpe.

Iam voti compos Guiſius, ſatis ſibi gratiæ apud plebem ad quiduis audendum ratus, ſatis contra principem inuidiæ, turbata omnia, perculſos bonorum animos, pauca ſibi obſtare, oportunum conſilijs ſuis tempus expectabat, cum ſubito incautum fortuna pæne afflixit. Nam interim ingenteis Germanorum copiæ reformatorum

auxilio

auxilio in finibus regni adeſſe nuntiantur. Simúlque Nauarræus pulſis bienni ſpatio nouem exercitibus, victoque & cæſo ad Coutracium Ioioſa ferox ad Germanos cum lectiſsima ſuorum manu properabat, inde Guiſio coniuratiſque non leuis metus, ne melius tandem conſultus Princeps, vtrámque aciem nacta vlciſcendi occaſione in ipſos verteret, tantiſque viribus impareis & imparatos prius perderet quam perire ſentirent. Nec vanus omnino timor, Nam eodem tempore, Legatos ad Regem Nauarræus miſerat, oratum vt ſuo & Germanorũ fideliſsimo auxilio aduerſus communem hoſtem vteretur. Conſtat non certius vnquam proditum Regem, non clariora corrupti & perfidi conſilij ſigna, qui ſi fortunæ beneficio vſus foret nullo periculo priſtinam auctoritatem ſibi, regno decus, populo quietem & otium vna reſtituiſſet, ſed Deo aliter viſum, cui non noſtræ ſed ſuæ res curæ. Vrgente periculo anceps Guiſius paulum ſubſidere cogitur, mox recreatus amicorum conſilijs quos penes Principem intimos habebat quibuſque arcana omnia

nota, relictis paternis artibus ad maternas recurrit. Literas ad Regem ſcribit, Mite ingenium & à pacis conſilijs nunquam alienum ſupplici oratione huc illuc verſat, orat quæ præterierant fato potius imputet quam hominum malitiæ, ſibi ſuiſque in animo eſſe, Principem ſuum venerari, cuius exceſſum eo magis metuant, quod ſucceſſor longè diſpar: hoc ſcrupulo ſublato, quin cuncta deinceps ex animi voto ſuccedant, ne dubitet. Simul aduerſus aduentantes Germanos egregiam operam pollicetur, pellendos antiquos Regni hoſtes quibus ſemel fugatis, perpetuum otium, æterna pax. Hæc facilè Principi perſuadétur, præcipuis amicis, ipſa etiam matre melioribus conſilijs viam ſemper præcludente. Ita neglecta Nauarræi vtilis regno oratio datuſque iterum fraudibus & perfidiæ locus. Rex exercitum cogit tum militum virtute & numero tum ſua præſentia etiam & maieſtate magnum. Guiſium præmittit qui Germanos aditu prohibeat, ſin iuſta acie congredi nollet, ſaltem continuis incurſionibus fatigaret: ipſe interim ad Ligerim ſubſiſtit.

Pro-

Procedit Germanorum agmen, & iam ad penetralia regni peruenerant nullo prohibente, magnuſque in vrbibus tremor, cum eadem fortuna quæ Guiſium paulo ante prope confecerat, eidem egregiam benè gerendæ rei occaſionem præbet. Ad Ligerim, namque & Sequanam malis auibus ducti hoſtes, longa hieme, continuis imbribus, rerum omnium penuria fatigati iter repetere, quaque flumen vado tranſiri poſſet regredi conabantur, quo ſe Nauarræo coniungerent : Incautos ſubita nocte adortus Guiſius ad Aunæum pagum occupat, magna ibi ſtrages, occiſi ad mille & ducentos, plures capti, cæteri in fugam verſi, ac ni Caſtillonæus adfuiſſet deletus tantus exercitus vna nocte foret, pergunt nihilominus debiles reliquiæ, iter inſtitutum: ſed victoriæ æmulus Princeps partem copiarum Eſpernonio tradit qui fugientibus à tergo ſit, ipſe non longo itenere ſubſequitur : Audita tamen turpi Germanorum deditione Lutetiam redit.

Sublato omni metu, & inſperato ſucceſſu elatus Guiſius, non inde tantum lau-

dis ſibi querendum putat, quantum principi parandum inuidiæ. Sparguntur itaque occulti tumores quibus ad cœlum attollitur nouus imperator, ducuntur per vrbes capti equi, arma, Germanicæ veſtes, plebi ludibrio, coactáque ad viſendum multitudine aderat ſemper aliquis pugnarum narrator, Augentur omnia, numerus mortuorũ, captiui, ſigna militaria: Ipſum quoque genus pugnæ arduum, cruentum, victoribus periculoſum: & falſo, cum conſtaret Donenſes copias, ſomno & vino graues eo loco oppreſſas vbi nec pugnandi nec fugiendi locus, nec vnum modo militem à Guiſio deſideratum. Quod vero poſt tantam cladem magni illius exercitus exigua fragmenta, tot anguſtias, tot dierum iter ſuperare potuerint, id non Guiſij culpa, ſed Regis Epernonijque ignauia factum, quibus confecta tota belli mole, lecto milite capto & occiſo, Lixas & calones & imbellem turbam trucidandam reliquerat, Non ſtetiſſe per eos tamen, quin ad Nauarræum integri peruenirent, quo plus inde & laudis & fructus Aunæenſi victoriæ detraheretur. Pudore

dore primo ſequi cœpiſſe, ſed ita lento agmine, vt abſque fuga euadere victi poſſent. Mox vbi etiam ſauciorum multitudinem & labore feſſos ne fugere quidem poſſe vident, quos aut deleri omnes, aut vinculis ſaltem oneratos in carcerem trudi imperij dignitas poſtulabat, ijſdem imaginaria tantum deditione facta, vitam arma & equos quibus denuo regnum inuadant conceſsiſſe, quibuſdam etiam ſua bona. His artibus aucta mirum in modum inuidia, ſero tandem errorem agnouit malè conſultus princeps, fruſtraque amiſſam occaſionem deſiderare cœpit. Lutetiam tamen reuerſus, reliquum hiemis reficiendo exercitui conſumpſit, publicata in reformatos expeditione, quam ſequente æſtate ipſemet parabat, ſiue vt verſos prætextu religionis in Guiſium populorum animos hoc pacto ad ſe reuocaret, ſiue quod ita vero ſtatuiſſet aſsiduis Ieſuitarum clamoribus fractus irati numinis aduerſus hæreticos certiſsima argumenta, finemque belli breui ſpondentium.

Anno octuageſimo octauo qui fatalis

orbi terrarum metuebatur de fine & fructu diuturnæ ſpei ſuæ Guiſius tandem extrema conſilia capit. Quæritur fruſtra toties excitari ciuilia bella aduerſus Nauarræum, quorum dubij euentus incerta vtilitas aut ſaltem ſera. Regem ſalli non poſſe, Poſſe opprimi, ſublatoque è duobus hoſtibus vno, in altero minus laboris. Porro quemcumque prior occuparet ſibi prona omnia, deinceps in ſuperſtitem. Maturandum. Iam non minus inuidiæ in regem ipſum quam in hęreticos: Id ſibi beneficio fortunæ datum, quo ſi male vtatur dum licet, non licebit quum volet. Pulſis præterea Germanis, nihil amplius quod timeat: Nauarræo præciſam externi auxilij ſpem omnem, cuius culpa perijſſe magnum exercitum, tot nobiles, tot egregios milites, in Germania & Anglia clament omnes. Ipſum bello feſſum. Multis prælijs, licet victorem, amiſiſſe è ſuis fortiſsimum quemque, qui ſuperſint aut inopia aut pacis deſiderio de quiete cogitare, parum illic negotij. Itaque non vltra cunctandum ratus, tertio ad impia arma iratus proſilit, nec vt antea occupari vrbes, armari plebem,

dele

delectus fieri, cæteráque remotioris mali ſigna. Ipſum ſimul adeſſe nuntiatur, ſimul videtur, Lutetiámq;, vbi tum rex erat, turbidus aduenit; ibi diudum paratæ inſidiæ tum plebis audicia tum coniuratorum numero fidę, vt certum eſt nuſquam facilius quam in capitali vrbe opprimi imperatores poſſe. Sed prima quidem nocte quieuit, monitus (ſic volentibus principis fatis alioquin inſcij & imparati) nondum pręſto omnia. Die facta ad arma plebem vocat, regia præſidia ferro vaſtat, reſtáque ad Luparam arcem, cruentam multitudinem ducit Principem ſuum obſeſſuram. Turbatus tanta nouitate, & celeritate Rex cui nec fugere honeſtum, nec iniquo loco hoſtem expectare tutum, nihilominus cum prętorianis militibus & Heluetiorum cohorte vna aut altera vnius diei impetum ſuſtinet, ſequenti tamen cum ruere ad arma incenſum populum, Omnia ſibi aduerſa, nullam auxilij ſpem videt, inter furentium ferrumq; & flammas poſcentium clamores ſaluus erupit, Carnutumq; peruenit. Atrox facinus, nouumque non tulit gens fide &

amore

amore erga reges ſuos nobilis. Ita ſubito verſi omnium animi mutataque rerum facies miſericordia in principem. Aduolant Camutum primores regni, nobilitas, plebs, clerique etiam pars ſanior. Clamant omnes Indignè factum, non ferendam Lotaringi audaciam, ſumendas pœnas quibus iniuriæ magnitudo ſuperetur. Regi operam, auxilium omne pollicentur, velit modo, relictiſque omnibus ipſis etiam hæreticis nunquã talia auſis iuſtum dolorem expleat. Mouet videtur tanta alacritate, ſed non commouetur iam fatis ſuis debitus princeps. Gratias tamen vnicuique agit & illud etiam parce, quaſi non egeret: Placide reſpondet ſatis ſibi animi & virium ad perſequendas priuatas iniurias, non opus in regno duobus ciuilibus bellis, vno plus eſſe. Sic omnes domum remittit, iam de reconciliatione cogitans. Si vera dicenti fidem habitura ſit poſteritas id mecum liquido credat, nihil æque offendiſſe Francorum animos quam imperatoris ſui patientiam promptiſsima ciuium ſtudia in publici dedecoris vltione non ſpernentis modo ſed vix laudantis.

Huius

Huius tamen letalis ſoporis & ſtuporis cauſam Catarinæ matri eadem me auctore poſteritas referat, cuius fidelem operam ſubito Guiſius implorauit ſimul ac res ſibi è ſententia non ſucceſsiſſe mutatumque regio probro vulgus, vrbes, nobiles; è ſuis etiam præcipuos nutantes videt. Tertio itaqua maternis conſilijs Henricus cedit, tertio res componuntur magno coniuratorum omnium applauſu quibus tanti ſceleris vltionem euaſiſſe non parum. Prudentioribus tamen ex eo metus, nunquam ita coaliturum vulnus, quin maneret fœda cicatrix: nec cui ſemel ad pellendum capitali vrbe principem ſatis animi fuerat, credibile ad maiora defuturam audaciam. Igitur pacatis rebus omnium conſenſu comitia indicuntur. Publica cauſa vt de integra regni adminiſtratione & ſucceſsione, deque ſumma belli aduerſus hæreticos ſtatueretur, turbelliſque iſtis & iurgijs inter Catholicos (ſic coniurati Regis fugam & totics renouata arma vocabant) imponeretur finis. Sed regi Guiſioque longè alia mens. Ille vt recuperata auctoritate damna-

tum publico Galliæ iudicio hoſtem compeſceret tandem. Id quam arduum quam laboris & periculi plenum euentus docuit. Guiſius contra, vt ordinum auctoritate omnem principi auctoritatem adimeret, ſibi vni depulſo Nauarræo ſpretáque reliqua regia ſtirpe clauus imperij committeretur. Id ei procul dubio in manu, nullo niſi è coniuratis ad ordines delegato.

Habentur itaque Blæſijs comitia. Multa ibi Princeps de ſuis in Catholicos meritis, quoties victricia ſigna aduerſus hæreticos contulerit, quoties fuderit fugaritque, quot milla demiſerit orco & pæne puer. Non viro minus animi: Nec ſibi cordi fuiſſe vnquam ſeparatum & à vero alienum Dei cultum in regno tollerare; Miſerijs populi tot ciuilibus bellis fatigati coactum ſua deſideria diſsimulauiſſe, & in commodiora tempora diſtuliſſe quę in præſens vrguere periculoſum. Multis tamen experimentis didiciſſe pace, & otio & publica quiete facilius corruptam plebem ad piam mentem reuocari: ſimul crepuit ferrum, licentia peccandi omnes malos. Non ſceleribus

à qui-

à quibus vacua bella nunquam & ciuilia præsertim, purgandam Ecclesiam : Moribus, exemplis, verbi diuini prædicatione humilitate & precibus id sperandum. Hoc sibi consilij fuisse anno octuagesimo quinto, cum à Guisijs sumpta arma, turbata publica pax, à quo nondum etiam prorsus alienus foret : sed quando ita postulabat omnium consensus, inuitum quidem ad arma veniſſe, nihil tamen iam sibi reliqui, quod non bellis exhaustum. Ibi numerat exercitus quantumque triennij spatio pecuniarum impensum : séque grauissime ferre tot fortissimos milites tot opes inutiliter absumptas, quibus non vnum regnum suo iungi potuerat : Atque etiam multo grauius quod plus ab amicis interim quam ab inimicis perpessus fueris, finemque belli & suas victorias quorundam ambitione potius quàm viribus hostium retardari videat. Decreuisse nihilominus sumpta arma nisi victis rebellibus deponere nunquam, non si omnes contrastent, non si inde totius regni exitium metuatur, vt saltem hoc prętextu remoto vnum quémque

deinceps in officio continere queat. Proinde videant, qua ratione, quibus opibus, quo milite id commodiſsimè fiat: Ea de cauſa vocatos. Deinde cæteris regni rebus, de legum & cleri reformatione, de ærario, de vectigalibus paucis & aliud agens agit libelloſque imperat. Ambiguam principis orationem vultu ad lætitiam & aſſentationem compoſito excipiunt delegati fœdiſq; adulationibus laudato eo in cuius perniciem iurati conuenerant, tempus deliberandi libelloſq; conſcribendi poſcunt. Dumq; hæc magna omnium expectatione geruntur, ludos interim hominibus Deus facit.

Guiſius accenſum tot iniurijs Regem diutius iſta non paſſurũ, vltioniſq; vias reperturũ tandem metuens, in ſe omniũ cernens oculos verſos, magnum aliquid expectari, quod priora vincat: Iam ſummoto Nauarræo, quem inauditũ, immo nec audiendũ, damnauerant omnes priuſquam iudicarẽt, nihil ſupereſſe, niſi ipſum principem de medio tolli, Ardet ſimul & audet.

Cætera vnicuiq; ſuorum curanda mandauerat. Hoc onus ipſe impoſuerat ſibi,

hanc

hanc prouinciam susceperat: Tempus itaque aduenisse ratus, quo paternis suisque laboribus finem statueret, è suis præcipuos in concilium aduocat, inter quos Ludouicus Cardinalis frater, & Lugdunensis Archiepiscopus primi. His coram, alijsq; paucis secreto exponit, quo in statu suæ res essent, Confecta omnia, Nihil iam obstare præter Principem, sed vnum instat omnium: Ijs in angustijs positum se, vt necessario aut sibi pereundum, aut Regi: eligant, videantque vtrum necari debeat, an vinculis asseruari donec noui principatus res stabiliantur: nihil inter vtrumque medij. Clamant omnes non vlterius cunctandum, non vinculis, non carcere opus esse: quia tandem cauea includi tantus Rex possit? Quandiu vixerit durare vltionis vota, simul excesserit, res nouas, noua consilia, ad priuata commoda redire vnumquemque, tutaque & præsentia quam veteta & periculosa malle. Contra si vinctus detineatur, crudele, nouum, vix populis tolerandum: Nuper post regis fugam expertos se, plus miserationem potuisse

quam gratiam: Denique non consilio opus esse, necandum. In hanc itur sententiam: De cæde Domini serui deliberant, sacrumque, & tot gentibus venerandum caput impijs gladijs deuouetur. Sic die dicta, additoque sceleri sacramento, discedunt. Nullo opus erat indicio, nec nisi remotissimis Europę populis ignotum, aut ista agere Guisium, aut acturum aliquando. Cui bono, toties rebelles manus in principem armauisse? Certum est tamen ab ipso Męnense, qui nunc suspersites, de fratris scelere monitum Regem, his verbis, Caueret à furioso desperatoque ingenio. Vnus etiam è coniuratis, vt in eiusmodi rebus semper accidit, conscientia ductus rem omnem aperit, diem, signum, conscios, sed ita angusto spatio, vt vix effugiendi periculi tempus, nec alia salutis via quam si prior occuparet: Ita adempta omnis deliberandi facultas, suoq; tandem discrimine doctus Princeps Guisios non occidit, sed pręuenit, atque vno die tantum.

Spes erat extinctis belli facibus, incendi, finem fore, quieturamq; galliam tandem,

superis

ſuperis placebat Sixte, non tibi. At coniurati quorum non melior ſed maior pars, Primo capita ſua mittere, latebras quærere, metu ſua quemque in tentoria diffugere, Pars etiam cœptis renuntiare, fidemque datam. Mox vbi fatali facilitate. Principem non vltra ſæuire vident, duorum tantum ſupplicio exoratum, ſex retinuiſſe, cæteros innoxios dimiſiſſe: Aureliam quoq;, quam oppugnare, ſed lentiſsima obſidione cœperat; Mænenſis aduentu liberatam: Tum ſubito lymphati omnes diſcurrere, vocare ad arma iratos populos, vrbeis occupare, Principis nomen famamque fœdiſsimo conuitiorum genere lacerare, leges, magiſtratus, & quodcumque in regno regium, ſanctum, vetus abrogare, noua & incredibilia inducere: Denique diuino furore adacti in ſemet ſæuire, adeo vt vix vrbs vlla cædes, latrocinia, exilia, proſcriptiones & quicquid ab hoſtibus metuiſſet à ciuibus ſuis effugerit. Diuini nempe numinis ira, tot funera, tot ſcelera, tot inſontium pœnas ſerò, ſed iuſtè vindicantis: Sic multo quam antea grauius & atrocius bellum renouatur.

notatur. Mœnensis qui paulò ante fraternæ proditionis index & accusator, furiosarum partium Dux creatur: subitóque vix dici potest, quam prompta totius regni rebellio; Regis sanè ipsius culpa (& verè & liberè dictum velim) cui nisi ad extrema redacto sana consilia placuere nunquam. Rebellionis exemplum dedit Lutetia vt par erat primam, tot regum muneribus ornatam, Imperij capitalem. Sequutæ cæteræ, paucis exceptis vt olim studio erga principem, sic nunc odio certantes vtra vinceret. Atque vt sceleribus suis nihil deesset, tuam Sixte authoritatem, Theologorum sententiam, Cleri consensum requirunt: omnia præsto adfuere. In collegio Sorbonensi quærenti Prætori Vrbano, *vtrum Galliæ populi regio sacramento piè liberari possent*: Piè posse respondetur. Defertur responsum ad Senatum, strictisque gladijs iubentur patres probare. Negat amplissimus ordo tantum nefas Francorum fide dignum. Cunctantibus, effringit plebs curiæ fores, nec vnum aut alterum, immo totum Senatum, imperijque vnam Maiestatem in carcerem ducit.

Nouus

Nouus ſtatim creatur Senatulus, qui probato Theologorum reſponſo, Populum fide liberat, Regem regno pellit inaudito more. Laudat continuo Senatuliconſultum Clerus: ſimulque auditur Romani fulminis murmur ab arce Capitolina, minitantis mox vt aiebant totius Galliæ culmina ſubuerſuri.

Anno octuageſimo nono, Henrico Rege Blæſijs tum agenti, nuntiatur deſciuiſſe, Lutetiam, Rotomagum, Lugdunum, Tholozam, præcipuas regni vrbes, ſine inſigni ſcelere nullam. Nuntiatur item Bruſacum, Boidauphinum, Chaſtræum, quos ipſe poſt Guyſiorum mortem accepta fide innoxios dimiſerat, datam violaſſe & ad hoſteis tranſiſſe. Præterea Hiſpanum, Italiæ Principes, Lotaringiæ & Sabaudiæ Duces, vna cum furenti plebe in Guyſiorum vltionem iuraſſe. Ipſe Blœſijs intutus, quocúmque ſe vertat omnia occupata aut infida, hac vrguere coniuratos, illac Nauarræum, quem eodem tempore cum exercitu adeſſe, captiſque vicinis vrbibus, Saumurium tendere rumor erat.

Tum vero tot vndique anguſtijs anxius, ſublata omni alia ſpe, extremis malis, extremum remedium adhibere cogitur, & quod integra Majeſtate, florentibus rebus neglexerat, iam deſperatis, amiſſo pęne regno, vltro petit: ſic volentibus imperij fatis: Nauarræumque grauem hoſtem, amicum vtilem, ſi vſus foret, auxilio tandē vocat. Ille licet infenſus, licet in Guiſiorum gratiam toties armis & ferro petitus ad Regem fratremq; ſuum improuiſus adeſt, cum lectiſsimo milite, non numero tantum, ſed virtute & rebus geſtis. Iterum ſubito mutatur rerum facies, ludoſque iterum Deus facit. Nam inopinato noui exercitus magnique Ducis aduentu, confirmatis bonorum animis, territis coniuratis, Mœnenſis ipſe tumultuarias copias, quas Lutetia in agrum Turonenſem vſque eduxerat per præſidia diſponere, Lutetiámque rurſus repetere cogitur, quo ingraueſcenteis plebis rumores præſentia ſua compeſceret: annonę caritatem & aſsidui militis inſolentiam expoſcentis, vnde frequenteis magnis vrbibus ſeditionum cauſæ. Diſceſſus

fugæ

fugæ ſimilis, premente ſemper Nauarræo, & nouiſsimum quemque obtruncante. Rex inſuper Heluetiorum auxiliaribus auctus, quibuſdam etiam ſucceſsibus audacior, ipſe in caſtra ſua venit, rectáque Lutetiam tendit, inde vt ſceleris ſic pœnę exemplum ſperans: Vndique accurritur, creſcitq; in dies exercitus numero & fama: Sic ſubito mutato regni ſtatu vt ſunt mobiles hominum animi, iam præcipuæ ciuitates de pace agere, Italiæ Germaniæque Principes legatos mittere, gratulari, opes & auxilia polliceri, è coniuratis etiam primi deſperatione ad miſericordiam confugere, omnia denique Guiſijs aduerſa, quibus viuo Rege nec ſalutis nec pacis amplius ſperanda conditio.

Trepidare coniurati noua & inſperata mutatione, incerti quid agendum, quid tentandum: vocantur tamen in conſilium prȩcipui de ſumma rerum acturi: Ijs coram exponit vnus (nomen ſupplicio vulgabitur olim) quo in periculo verſentur: quæ in Gallia habeant minus fida: Mobile nobilium ingenium & qua fortuna vocabit

ruiturum, timidas vrbeis, nisi scelerum societate retineri in fide non posse, si impunitas detur, breui reuersuras: Clerum auarum, nihil de suo nisi parcissime etiam suis regibus promentem, quid precario tantum imperantibus? Hæc domi. Foris auxilij minus. Hispanum annosum, de priuata familiæ suæ quiete sollicitum, cui tutius turbari Galliam, quam integram vsurpari, nisi à seipso. Cautos Italiæ Principes, Germaniæ auaros, Callidum Pontificem leuem, sui tantum commodi auidum, simul cum fortuna mutabilem. Proinde in se sua omnia sita: si quid boni contigerit, prona omnia futura, sin contra, de salute non cogitandum, quibus non nisi fuga salus. Postremo vnius Regis morte posse res suas restaurari, in id vnum laborandum, quacumque via tollatur de medio. Non aliud urguentibus malis remediũ. Conuertunt eo animos artemque omnem, nec desunt qui tanti sceleris ministros se offerant: Plures magnitudine promissorum sollicitantur, vt cuique manus promptior, plusque audaciæ inerat. Deligitur inter omnes tuus

Sixte

Sixte Clemens, monachus Iacobita, non tam audaciæ fiducia qua tamen inter fratres clarus, quam quod monachis semper apud Principem facilis aditus: cæteros nisi certis horis intromitti rarum. Is à prima pueritia ægestate in collegio educatus (sic à Decano audiêre multi) egregiam virtutis & indolis spem dederat, sæpius ordinis disciplina castigatus, sæpius in lustris & ganeis deprehensus, sæpius fugam meditans: doctrinæ, pietatis nulla in eo laus, ne Gallicarum quidem literarum cognitio. Quod de nefario parricida tantum dictum velim, quem mihi nominare etiam graue, vt scilicet iudicet æqua posteritas, an digna sacro ore vox tua Sixte, qui non modo diuinum numen parricidis conscium facis (parce Deus optime maxime) immo etiam perditissimo latroni, spiritus sui doteis, & solis prophetis & Apostolis concessos animi motus communicasse, voluisti. Sic igitur emissus Lutetia monachus ad Castra pergit, prius prouiso tamen, vt regis omnes intus capti clausiq; detineretur, suæ vitæ pretium. Cui primo obuiam fit, ait se litteras

data ferre à quibuſdam Pariſienſibus, principi notis & fidis, magna illic contineri, & eſſe quædam quæ ſolis Principis auribus committi debeant. Introducitur pari facilitate qua cæteri eius ordinis omnes, Regémque vix lecto egreſſum ac penè ſolum vt ei mos erat, ſalutat, litteras reddit quibus lectis, quid ferret, interrogatur. Ad genua procumbit monachus, ſedente tum fortè Rege, auribuſque admotis, incauto & audienti ſimilis viſcera cultello quẽ fecerat ipſe & infecerat, fodit. Exclamat Princeps, cõcurſuq; facto multis vulneribus Clemens conficitur, vetante etiã mitiſsimo Rege, & eo qui introduxerat, quippe ex illius ore totius coniurationis ordo, indicia, cõſcij, ſciri poterant, quæ ſi paterent, vt patebũt olim, neſcio an te, Sixte, aut dati cõſilij, aut ipſius etiã criminis premeret non leuis ſuſpicio. Sed iſta veritatis auctor in pœnarum tuarum tempus reſeruauit. Ingens inde in exercitu luctus & pauor, hoſtibus contra lætitia quorũ eodẽ inſtanti auditæ voces, inter ſe gratulantium, quærentiumq; an monachi culter probe acutus foret. Saucius defertur

fertur in lectulum Princeps, vbi sequenti nocte cõpositis rebus omnibus expirauit.

Hic fuit Sixte magni regis casus, hæc imperij clades. Multa ibi quæ defleam video, quocunque vertas, vbique horror, atrox vbique spectaculum: nihil tristius occurrit tamen, nihil acerbius oratione tua. Publicæ calamitatis illud corollarium. Procul à nobis tantum dedecus, satis sit amisisse optimum principem, satis, culpa, & inertia nostra perijsse: Mortui famã proscindi, & tot gestarum rerum clarissima monimenta corrumpi ne patiamur. Sed à te primum quæro Sixte, quibus legibus tecum agam? An Christianis? At quid tibi cum Christo, cuius natalia & funus, sceleratissimi siccarij exemplo celebras? An naturæ potius? & quo tandé naturę vinculo parricidij assertor tenebitur? Postremo humanisne & ciuilibus? Humanũ tamen imperium, Ciuiliaque iura fortuito peccantibus seuera, priuatas iniurias priuata auctoritate exequentibus grauia. Quid publicam vtilitatem violantibus? etiam crudelia. Nouo mihi iure tecum opus, vt video. Bene est,

sed

ſed illud in manu Tu noui criminis auctor, tumet mihi lex, tu teſtis eris, Europa forum, cœlum iudices dabit, his conditionibus ago. Ades modo, & audi Primũ, illud mihi durum, tu ſi libet emollias, cur diuini iudicij nomen toties vſurpatum? non ſatis tibi, Deum bonorum omnium optimum ſciuiſſe, cur etiam voluiſſe tantum nefas? Sane Pater vbique admiranda eius iudicia ſcio: Principibuſque quo plus adminiſtrationis habuerint plus rationis reddendũ: Nec ſi quid deliquerint Reges ſuis tantum pœnis, immo etiam populorum omnium quandoque ſupplicijs expiari. Clarum vtrumque ex hiſtorijs ſacris. Iuſta denique & merita luiſſe noſtrum, ſi diuinum numẽ ſpectes tantum, cuius oculis omnia corrupta, praua, nil rectum, nil integrum, non negem: ſed iſta Deo iudicanda relinquas, Sixte, non tibi. Qui ſcis, an quod tu pœnã putas, beneficij loco conceſſerit? Nonne etiam Iozias immatura morte perijt? non ſæpius, quos diligit Dominus, primos ad ſe vocat? Non ſæpius viuiares tyranni? Bonis principibus rara ſenectus? Superfluum iſta inqui-

inquirere, Sixte, impium iudicare. At ita ſit, concedo. An idcirco tamẽ parricidæ cauſam diuini iudicij excuſatio tueatur? Galliæ Rex grandis alicuius ſceleris pœnas ab irato numine meruerat. An cõtinuo, pius, magnus, inclitus, fœlix, imperatorio titulo dignus, è plebe viliſsimus quiſq; qui Principẽ ſuum occiderit? Tum tibi igitur filius innocens, qui paterna cæde paterni criminis vindex, tibi iuſta liberorum indignatio, flagitioſi parentis ſanguine diuinæ vltioni litãtium: Quid illud? dignúſne deinceps quem pro parentis nomine reuereamur, cui ſic violatæ pietatis exemplũ placet? Vrgeris, Sixte, times? at fruſtra, nihil dum etiã dico, læuia iſta, nugæ, accede, auditurus quibus non palleas, ſed torpeas, ſed interim ſecedant venerãda ſanguinis & naturę iura, ſacrumq; humanæ ſocietatis vinculum, illis præſentibus verbum qui faciã, non eſt. Concedo, iterum fas ſit legibus tuis, publico iudicio damnatum parentem necare, non deſit in vrbe carnifex, dum reo filius adſit, nec deinceps poppæa iubeat matrimoniã ad quærendos liberos tantum, ſed etiam ſi quan-

do opus sit, ad parricidas. Edicat prætor tuus, *Filius patrem impune occidat*, sed addat saltem, damnatum, aut notatum infami scelere, aut reip. hostem, vt hoc modo priuata familiæ iura, publica vtilitate superentur. Sed si contra, publica commoda publico scelere violas, apage à nobis tuas leges, saluo humano genere rogari non possunt, iam videamus. Non hic priuatæ familias-pater, sed reip. parens iacet, non vnius domus dolor, sed totius imperij luctus graui scelere quæsitus: tu tamen & illud etiam probas? merito occisum dicis? Ita sit, modo quem deflemus dignus saltem qui sic periret, sed quod crimen, Deus bone, in cuius vltionẽ cessent diuina, humana, publica, priuataque iura? De Ludouico inquis Cardinale Guisij fratre supplicium sumi iussit, cuius sacrum caput, nisi auctore Pontifice attrectari nefas. Ain tu tandem, fera bellua, Regi vnius Dei auctoritate & gratia imperanti, perduellionis maiestatis, toties turbatæ publicę quietis reos punire non liceat, monacho infami maximum Regem ob interfectum Cardinalem liceat iugulare. Quid

illud

illud vobis videtur, Europæ Principes magni, quorum ceruicibus insultat immanis Leo. At si puniendus erat, non eo genere mortis tamen, producendi erant testes, audiendus reus, iudices delegandi, nec infanti viri morte maturandum. Nempe testibus egebat, cuius audacia iam triennio integro, bellis ciuilibus Gallia conflagrauerat Nempe audiendi Catilinæ, Manlij, Cetegi, toties in armis, in ipso scelere deprehensi. Nempe in eius pœna cunctandum, cui, ad bonorum omnium pœnas, ad Principis ipsius cædem ad imperij totius euersionem sequentis diei spatium tantùmodo defuerat. Sed heus tu, vir bone, qua tandem lege discipulos tuos publicæ vindictæ exemisti? Enimvero in miserrimum quemque ob leuissima delicta sæuiant leges, Presbytero, Episcopo, Cardinali, etiã grauissima liceant. Nullum ius in eos habeant humanę leges, si quid peccauerint, sibimet ipsis sua iura condant. Exemplum placet, vtique vt verum sit, opinor, Euangelistæ dictum monentis, ne in cathedra Moysis sedentium, facta sed dicta tantum sequere-

ſed illud in manu Tu noui criminis auctor, tumet mihi lex, tu teſtis eris, Europa forum, cœlum iudices dabit, his conditionibus ago. Ades modo, & audi Primũ, illud mihi durum, tu ſilibet emollias, cur diuini iudicij nomen toties vſurpatum? non ſatis tibi, Deum bonorum omnium optimum ſciuiſſe, cur etiam voluiſſe tantum nefas? Sane Pater vbique admiranda eius iudicia ſcio: Principibuſque quo plus adminiſtrationis habuerint plus rationis reddendũ: Nec ſi quid deliquerint Reges ſuis tantum pœnis, immo etiam populorum omnium quandoque ſupplicijs expiari. Clarum vtrumque ex hiſtorijs ſacris. Iuſta denique & merita luiſſe noſtrum, ſi diuinum numẽ ſpectes tantum, cuius oculis omnia corrupta, praua, nil rectum, nil integrum, non negem: ſed iſta Deo iudicanda relinquas, Sixte, non tibi. Qui ſcis, an quod tu pœnã putas, beneficij loco conceſſerit? Nonne etiam Iozias immatura morte perijt? non ſæpius, quos diligit Dominus, primos ad ſe vocat? Non ſæpius viuaces tyranni? Bonis principibus rara ſenectus? Superfluum iſta inqui-

inquirere, Sixte, impium iudicare. At ita ſit, concedo. An idcirco tamẽ parricidæ cauſam diuini iudicij excuſatio tueatur? Galliæ Rex grandis alicuius ſceleris pœnas ab irato numine meruerat. An cõtinuo, pius, magnus, inclitus, fœlix, imperatorio titulo dignus, è plebe viliſsimus quiſq; qui Principẽ ſuum occiderit? Tum tibi igitur filius innocens, qui paterna cæde paterni criminis vindex, tibi iuſta liberorum indignatio, flagitioſi parentis ſanguine diuinæ vltioni litãtium: Quid illud? dignúſne deinceps quem pro parentis nomine reuereamur, cui ſic violatæ pietatis exemplũ placet? Vrgeris, Sixte, times? at fruſtra, nihil dum etiã dico, læuia iſta, nugæ, accede, auditurus quibus non palleas, ſed torpeas, ſed interim ſecedant veneranda ſanguinis & naturę iura, ſacrumq; humanæ ſocietatis vinculum, illis præſentibus verbum qui faciã, non eſt. Concedo, iterum fas ſit legibus tuis, publico iudicio damnatum parentem necare, non deſit in vrbe carnifex, dum reo filius adſit, nec deinceps poppæa iubeat matrimonia ad quærendos liberos tantum, ſed etiam ſi quan-

do opus sit, ad parricidas. Edicat prætor tuus, *Filius patrem impune occidat*, sed addat saltem, damnatum, aut notatum infami scelere, aut reip. hostem, vt hoc modo priuata familiæ iura, publica vtilitate superentur. Sed si contra, publica commoda publico scelere violas, apage à nobis tuas leges, saluo humano genere rogari non possunt, iam videamus. Non hic priuatæ familias-pater, sed reip. parens iacet, non vnius domus dolor, sed totius imperij luctus graui scelere quæsitus: tu tamen & illud etiam probas? merito occisum dicis? Ita sit, modo quem deflemus dignus saltem qui sic periret, sed quod crimen, Deus bone, in cuius vltionē cessent diuina, humana, publica, priuataque iura? De Ludouico inquis Cardinale Guisij fratre supplicium sumi iussit, cuius sacrum caput, nisi auctore Pontifice attrectari nefas. Ain tu tandem, fera bellua, Regi vnius Dei auctoritate & gratia imperanti, perduellionis maiestatis, toties turbatæ publicę quietis reos punire non liceat, monacho infami maximum Regem ob interfectum Cardinalem liceat iugulare. Quid

illud

illud vobis videtur, Europæ Principes magni, quorum ceruicibus insultat immanis Leo. At si puniendus erat, non eo genere mortis tamen, producendi erant testes, audiendus reus, iudices delegandi, nec infanti viri morte maturandum. Nempe testibus egebat, cuius audacia iam triennio integro, bellis ciuilibus Gallia conflagrauerat Nempe audiendi Catilinæ, Manlij, Cetegi, toties in armis, in ipso scelere deprehensi. Nempe in eius pœna cunctandum, cui, ad bonorum omnium pœnas, ad Principis ipsius cædem ad imperij totius euersionem sequentis diei spatium tantũmodo defuerat. Sed heus tu, vir bone, qua tandem lege discipulos tuos publicæ vindictæ exemisti? Enimvero in miserrimum quemque ob leuissima delicta sæuiant leges, Presbytero, Episcopo, Cardinali, etiã grauissima liceant. Nullum ius in eos habeant humanę leges, si quid peccauerint, sibimet ipsis sua iura condant. Exemplum placet, vtique vt verum sit, opinor, Euangelistæ dictum monentis, ne in cathedra Moysis sedentium, facta sed dicta tantum sequere-

mur, at vero humani iudicis tribunal magnus ille homo-deus, te Sixte, melior, te maior, non recusauit, nec in iudicium deductus, potius de iudice conquestus est: submisêre capita Iacobus, Andreas, Stephanus, Paulúsque item in vinculis habitus, non Apostoli, non Cleri, sed Romani ciuis nomine libertatem suam tutatus est. Sed pol scio hîc quid respondeas, non tantum Christo, Apostolísue licuit, creuêre exillo vestra iura, bene sit, quando ita tulêre obcæcati sæculi mores, feramus impositum à maioribus onus, gaudeant immunitate & impunitate sua hierarchæ, sed nocendi licentiam in priuatis tantum modo exerceant, tuti sint ab illorum audacia Principes, vacua sceleribus respub. sin minus, audi Gallicas leges, & Regum nostrorum seuera iussa, publica crimina læsæque maiestatis nefas, è priuilegijs vestris semper excipientium. Audi vulgatum illud Innocentij, *Qui de Ecclesia aliquem exemerit, vel in ipsa Ecclesia, vel loco, vel cultui, sacerdotibus & ministris aliquid iniuriæ importauerit, ad instar publici criminis & læsæ maiestatis accusabitur,*

bitur, & conuictus seu confessus, capitali sententia à Rectoribus Prouinciæ puniatur : Quid respondes? nondum vinceris, exemplis opus est? Perlege res maiorum tuorum, redde rationem, cur idem Regi in regno non liceat, quod licuit Nicolao quinto, in Ecclesia Domini aduersus Porcarium, & Sarram, nobiles equites Romanos, quod Pio aduersus Carappham & Rebibam Cardinaleis, Pallianum & Alliphanum claros Italiæ comites, quod innumeris alijs quorum vestigia restant, quod tibi, qui multo vndantem sanguine Romam, & tot nobilium capita, contis præfixa, tuo arbitratu vidisti? sed ecce, iterum vincor, & tertiò, fateor ita esse. Graue procul dubio Principis crimen in Cardinalem animaduertisse, licet rebellem, perduellionem, licet insidiarum in ipsum, licet parati veneni, aut conducti ad grande nefas gladiatoris reum. Sacro vnguento purgantur ista omnia, quo qui semet vnxit, in æternum ab omni imperio vindicatus. Qui contra, nobili signatum caractere, vel digito tantum attigerit, ne Deus ipse, liberare ab infortu-

mio miſerum poſsit, annuo: ſed hoc ſaltem mihi viciſsim concede, Sixte, quæcumque in Regem ingeris, crimina, probra, accuſationes, Guiſiorum morte omnia contineri, hoc excepto, innocentem: hoc ſi dederis, interrego ego viciſsim etiam, cur nihilominus inſontiſsimo principi, triſte mortis genus non prædicebas multo ante tantum, ſed optabas. Cur Ioioſam, Pariſienſem, Lenocurtium, Cardinales, infauſtæ vaticinationis teſtes appellas. Quid eo tempore quo Ioioſam & Lenocurtium vidiſti commeruerat diris tuis dignum. Nec dum tamen interempti Guiſij, nondum vocatus Nauarræus, nondum hæreticis datæ induciæ, qua de cauſa tandem, infamis bubo, inſuetum & dedecoroſum vitæ exitum, illi occinebas. Non tuo iuſſu arma in hæreticos ſumpta anno octuageſimo quinto? non commiſsi Guiſijs exercitus, quibus in perniciem regni vterentur? non Germanorum auxilia, deleta? quid omiſſum? Non ſi anguilla, ſic iam elabaris, ita teneo calumniæ manifeſtarium: nempe non regno ſimul non vita ſeip-

ſum

ſum exuerat honeſto carcere clauſus, non ſceptra Guiſio aut Hiſpano tradiderat, hoc crimine perijt. Et ea de cauſa elegan-ti alluſione, *vt ſui generis vltimum*, ſic vlti-mo ſupplicio pridem deſtinaueras. Ah carnifex tum etiam circulata ſubtilitate, malorum noſtrorum irriſor, hic ades. Tu in acerbiſsimo Galliæ luctu verba cicin-nis emollias,& debitam nefario ſceleri vo-cis atrocitatem, arguta elocutione frangas, ſic eius manibus illudis,ſic eius memoriam turpiter fœdas,quem tot ſæculis, tot maio-rum ſerie, tot rebus domi foriſque claris, imperij fata nobilitauerant: ſic, à cuius auis atauiſque tua ſedes, tot beneficijs ornata, eidem tot maledicta rependis, euge Sixto conſilium placet, dignumque Pontifice ingenium. Sed huc omnes qui ſunt, qui-que in poſterum noſtra legent, monarchas aduoco,agnoſcant mecũ, admiranda Dei iudicia fortunęque ludibria & vices. Inter-fectus eſt potentiſsimus orbis terrarum Princeps,ſed viueret adhuc niſi pridem in-terfectores ſuos ſuo & regni ſanguine aluiſ-ſet. Quorũ vitam,ſtudia,mores, omni vita,

omni

omni cura, cariores habuerat, horũ fraude & ferro iam vita caret. Perijt (nefas) ſed ab ijs, quibus dum ſalua omnia cupit, cætera ſeipſúmq; perire negligit, & quorum tamen tignis (ſatiſne audacter) fulciri cadentis imperij ruinæ poterant. Mortui manes accuſantur, ab eo nempe, quem viuus omni opera defenderat, quem dilexerat vnicè, coluerat plus æquo. Damnantur etiam, & nihilominus durant adhuc amoris & fidei triſtia monumenta erga te, tuoſq; , Sixte, quorum vtinam deleri cruenta memoria poſſet: quorſum igitur tot ciuileis motus, tot cædes, tot proſcriptiones tulit Gallia, niſi vt vobis opes intactæ, æterna ſecuritas? Nondum ſatis: quid reſtat; interdicitur funeri honos, corpori vltima ſedes, annuæ, etiam hoſtibus nunquam denegatæ preces: ſed ab ijs denique, in quorum gratiam nudis pedibus, depoſito ſceptro, ſubmiſsis faſcibus, piè, ſed minus imperatoriè vidimus ſæpe deambulentem, quorum ſedibus integrum regnum vix ſatis fore quærebatur, quorum ſalutem ſuis totiuſque populi precibus, ab irato tot flagitijs numine, non

ſemel impetrauerat. vno verbo abſoluam. cui nullus monacho gratior occurrere potuiſſet, cui cleri ordo è tribus regni chariſsimus, atque etiam cum cæterorum inuidia, cui ſomno Pontifice, nec commendatior quiſquam, nec venerabilior, eidem fata ſua interfectorem monachum, ſacerdotes hoſtes, Pontificem accuſatorem dedere. Ignoſce pietas, in publico luctu, in principis mei cæde, ſi philoſophari fas eſt, hoc habeam meditationis argumentum.

Ad te mox veniam, Sixte, ſi prius illud mihi conſtet. Cur exigui pulueris munera, cur ſalutares preces mortuo principi denegas. Adeônè implacabiliter iratus, vt etiam in cineres ſæuus? Corpus carnificibus lacerandum ad ſatietatem vſq; permitte, anima ſaltem æterno otio relinquatur, vtrumque perire cupere, crudele, ſæuum, ſane etiam pontificium.

Minorine pœna iraſci ſummus ſacerdos nequit? interrogo an illud piè, an Chriſtiane ſatis? Audite, principes orbis terrarum. *Edicit ſanctus Romanus Epiſcopus, ſe apoſtolica poteſtate, Iacobo clementi, ob interfe-*

Etum regem Galliæ Christianissimum, cœlos aperuisse, Regio cadaueri, non funeris pompam non honorem tumuli, immo quod apud illos vilius est, preces & næniας, ob denegatum petentibus, se auctore, Guisiis regnum, merito denegare. Proinde si quis Regum, siue hæretici sint, siue Catholicissimi, magni sacerdotis arbitratu, diadema statim non deposuerit, cui iubebitur traditurus eundem exitum & in hoc seculo speret & in futuro. Quicunque autem sacræ fulminationi morem non gerentes principes, monarchas, imperatores oppresserit, ferro, veneno, clam, palam, virtute an dolis, is inter sydera relatus nouo sydere, stellarum numerum augeat. Sic voluit Dei vicarius, apostolorum Petri & Pauli successor. Iam quid te igitur opus est, Christe, si non tuo, sed regum sanguine parantur æternæ sedes, si non cruce, sed cultro monachis patet ad cœlum via. Sanctum numen, qualia Romanæ ecclesiæ martyria, quibus cineribus crescit?

Audiantista, Caluini & Lutheri manes, pœnarumque suarum dolorem, si quas patiantur, iucundo saltem nuntio consolentur.

tur. Nunc de semita in viam redeo. Sixto parum fuerat atrocissimi criminis accusationem, diuini iudicij prætextu, sacrarum literarum mentita auctoritate elusisse, addit exempla, quibus eluceat nefarius proditor, nec vulgaria tantum, aut eiusdem sortis hominum, sed quibus Alexandri aut Cæsaris res poterant illustrari. Libens prætermitto quæ de cõceptione, morte, resurrectione domini ibidem recitantur, fæda dictu audituque, subsistam paulisper necesse est priusquàm auribus excipiam tantum nefas. Laudat primò egregium Eleasaris in pugna facinus, belluam cui insidere Antiochum putabat transuerberantis, parumq; de se solliciti, dum eadem ruina sessorẽ semetq; ipsum vnà occideret. Laudat fortissimæ fœminę virilem audaciam, non vitæ, non pudori parcentis, dum hostili capite, vitam, fortunas, pudicitiam, ciuium suorum saluam facit: vtriusque zelum, constantiam, animi robur extollit, sed ita vt pœtæ, Hectoris Æneæque trophæa, quò plus victoribus laudis: simul ad Clementẽ redit, ita eleuat vt dicas indignari, exempli

pœnitere, nec niſi melioris inopia, debili cõparatione vſum. Hac ratione igitur Dauidis, Samſonis, nobiles pugnę, infami Caini, Ioabis, judæ proditioni cedãt, Sixto iudice. Nihil interſit virtute quis an ſcelere ductus Tyrannum perimat, an regem, patrię hoſtem, an parentem. Æquentur Dux belli, multis prælijs, multis victorijs clarus & emiſſus cauea monachus. Paribuſque tandem verbis, martyrum conſtantia & ſacrilegi audacia efferantur. Hi ſi valeant mores, vt Gregorianum, & Gratianum, ſic tu quoque Sixtanum ius condas neceſſe eſt, virtutibuſque ſuas laudes, vitijs ſua probra detrahas, nam qui iſta defenderit, inuentus præter te nemo. Faceſſant exempla, licet magna, hîc neſcio quid Iliade majus. Vulgari præterea laude nihil eſt, quod ſtupeat inſanum vulgus, miraculis opus, quibus præſens ſceleri adfuiſſe diuinum numen arguatur. Narrat itaque Clementem obſeſſæ vrbis portas, & vtriuſque exercitus præſidia inobſeruatum tranſiſſe, narrat prodigij inſtar, cui ſimile nihil Iudith afferre poſsit, licet ſacris fidibus decantata; feminam

minam nempe, ſua conſilia magiſtratui & primoribus populi aperuiſſe, horum comitatu, ſuperata ciuium cuſtodia, ad hoſtiles vigiles primò, dein ad imperatorem deductam, formę lenocinio, ducis ingenium vino & libidine corruptum facile viciſſe, inde ſibi tuta & prona omnia. Monacho contra: multum vbique laboris, plus periculi: ſolum, quippe nullius opera aut ſuaſu, magni facinoris, audaciam, tacita mente concepiſſe: Penetrandæ non hoſtium modo, ſed ciuium excubiæ, illic ſi vultus, ſermonis, greſſus inconſtantia argueretur, quę magna molientibus frequens, certiſsimum exitium. Hic ſi deprehenſus cum literis foret non minus timendum ab inſcijs & obſeſsis, omniaque etiam vana, timentibus, ita vt apud Homerum Æneas Neptuni opera pugnæ ſubducitur, ſic circumtectum nubecula monachum & a nemine viſum per vrbem, per caſtra, Sixtus ductitat. Miror etiam cur angelorum tergo ad regia vſque tentoria vehendum non impoſuerit. Fidem tuam imploro, veneranda antiquitas. Quonam abijt pudor? Cui turpe

deinceps mendatium? Hiſtoriam tu vicil ſim audi, nõ fabulam. Clemens grandi pecunia, maiori ſpe, nobili etiam ſcorto ſollicitatus, cum præcipuis coniuratorum occidendi regis conſilium capit, vnde aurum acceperit, vbi primum ſceleris ſui vota patefecerit, quibus preſentibus, quo ſuaſore, quo adiutore, iam ſcitur. Tanti facinoris memoria non æquum erat poſteritatem fraudari, vt nec ſpero ſequuturæ pœnæ exemplis: fingunt literas à quibuſdam captiuis ad regem, magnum aliquid indice monacho nuntiantibus, his acceptis, cultello quem ad cædem fecerat ſimul & infecerat, accingitur, vrbeq; egreditur, prius data opera tamen, vt retinerentur ſuſpecti omnes, ſicq; mille innocentium periculo, nocentiſſimi ſicarij ſalus tuta foret, ſi viuus forte in hoſtium poteſtatẽ perueniret. Hæc prima miraculi pars, hi diuini motus, hæc celeſtis inſpiratio, illud præſentis numinis argumẽtũ: caſtra regis ingreditur nullo vetãte, quis prohibuiſſet? ſoli ea tẽpeſtate inter patriæ ruinas tuti monachi, ſolis vagari; expectas tu qui hæc legis, vt mendacia quibus

bus Sixtus ſcatet, faciam palàm, ſimul & eluam. Quid mihi mendacia, vbi tot blaſphemiæ occurrunt? Leuia illa, vulgi: Cæteros à plebe, ſua ſecernat virtus, Pontifex ſceleribus dignoſcatur. Verus dictum, vbi iuſta tantum dominãti licent, præcario imperatur: non differt à prophano ſacerdos, niſi libertate peccandi. Opus eſt (inquit de cæde Principis) verè inſigne, memorabile, nec ſine Dei opt. max. particulari prouidentia, & diſpoſitione perpetratum (ignoſce nnmen, æterne, ſancte, magne, ignoſce pietas, impia verba referenti) Quid ſi tantum accidiſſe dicàs, Sixte, ſic permittente eo cui omnia prohibere facile: verum ſit licet, non pium tamen, non pium tibi, cui niſi humana & præſentia non patent, in partem ſceleris tui vocare, quem optimum max. vocas. Hem, tu illud ignores, Doctor in Iſraël, non niſi bona Deo, cætera nobis tribui. Eadem igitur via, in eundem, ſolum bonum, ſolum omnia potentem Deum, damnati humani generis culpam referi, quis ferat? At tibi illud etiam parum eſt, qui non modo ſciente

ſed

sed conscio, non dissimulante sed jubente, occisum Principem dicis, omissaque superorum & inferorum cura, id vnum voluisse, procurauisse, vt in Gallia tuo nutu parricidium fieret. Audit ista cœlum & patitur? Cui nam igitur terræ hiatus, infames scopuli, ima Erebi barathra reseruantur.

Ipsa quoque fulmina desint, si nihil impunitũ relinquatur. Pridem benignissimæ aures execrandis istorum vocibus induruêre. Et quænam hæc quæ retuli omnia? vulgaria, plebeia, nihil dum Iouis ira dignum, nihil magnum, nihil Pontificium. Pueri exemplum imiter libens, medicatam potionem hausturi: moras nectit, omnia prius agit, cyathum versat, sæpius ori gustabundus admouet, mox refugit iratus, poscit dulcia queis amaritudo vincatur: Tandem clamoribus astantium fatigatus, versis oculis, occlusis naribus, non bibit, sed ingerit. Idem accidit nunc mihi: Cupiã hercle verò, si liceat, Sixte, effugere horrendam impiam illam vocem, qua nascentis & morientis Saluatoris, sacra, salutaria mysteria, nefarij sceleris cõparatione polluisti.

Atque

Atque vtinam Christianis auribus audita tantum, melius sanè de fide persuasis, nec impuræ orationi fidem habituris vnquam, modò Barbaris, Ethnicis, Turcis ignota, quibus arcana religionis ludibrio deinceps habere liceat, auctoritate tua, Pontifex, & exemplo. Te verò diuini gregis pastorem, cuius ductu è sacris fontibus vitaleis lymphas haurit: cuius verba nihil nisi pium, purum, sanctum, sonare debuerant, te scriptæ diuinæ legis viuum interpretem, te vnum blasphemiarum falsi aut corrupti sensus, ioci denique aut liberioris verbi, è salutaribus libris vsurpati, vindicem acerrimum, si officio veteris: non pudet, ne dicam Prophetis & Apostolis illusisse, non in dubium historiæ veritatem reuocasse, non corrupisse scripturas, aut praua interpretatione torsisse, non pio exemplo impia facinora velasse, protexisse, (vobis leuiora ista quò frequentiora) verum non pudet summum illud seruandi humani generis consilium à solo diuino numine sibi datum, sibi acceptum, cum impia, detestanda iugulandi Principis coniuratione conferre?

Nati, mortui, resurgentis Domini venerāda miracula, fortuitæ furentis carnificis audaciæ adæquare. Discede nefas, & sacrum pecus venenato afflatu ne fascines. Quid à te relictum tandem: cui pepercisti, Quid iam non obijciat Mahemet? Quid reticeat Iudæus? Hem Christiani, si quid in vos grauius Sarraceni, Indi, Calicutæ inuehantur, sumpsêre à vestro pontifice mutuum. Deerant igitur tuo sceleri, Sixte, exempla humana, cum ad diuina recurris? Gaudeo, pontifex, rerum naturam ad tua vsque tempora publico parricidio vacuam: vterque tuo seculo reseruebatur; & qui audere tantum nefas posset, & qui iubere. Exite, ô quoscunque diuinæ meditationi datos, ab omni humano cœtu pia secreuit antiquitas, quos altissimo muro, ferreis ostijs clausos, nisi per rimam sol vidit vnquam. Exurgite, exite, Sixtus ad scelera vos vocat, ad regias cædes, iam nullo portæ custode tenentur: Et quæ legibus vestris ad patrios amplexus, ad materna oscula clauderentur fores, vltrò vobis patent ad parricidia. Decreueram mendacia, nugas,

gas, calumniam etiam prætexire: Moueor vnius impudentia, & sanè non mediocri indignatione digna, sic iudicabuut queis res nostræ notę: Ain tu etiam monachos in regijs castris, aut occisos, aut malè habitos: atque vtinam, si fas est, vtinam saltem in carcerem coniecti omnes, quot quot occurrebant vileis animę, & ignauum pecus: Viueret adhuc, longiore æuo dignus princeps, nec tibi nunc mala nostra irridere tutum, Cucullate, nunc mortuo leoni viuus insultas lepus: id vero quasi non sciant omnes, eiusmodi mancipijs nunquã difficilem, cęteris, etiam intimis, quandoque seueriorem fuisse: nocuit ei procul dubio: intempestiua facilitas sua, nullis casibus experto, quantum fraudis cucullo tegeretur: quasi ignores tu quoque, vna in exercitu duos secum monachos habuisse semper, quorum ministerio in sacris vtebatur. Dispeream, ni deposita senatoria toga, monachalem amictum optassem, si mihi exorandus fuisset: non amare, sed furere illud erat: bone deus, nullus in regno tam potens, cuius cõmoda, ne sua quidem,

horum delitijs non poſtponeret. Non tibi pol ſuccedit mendatiũ, Sixte, quiduis aliud facilius perſuaſiſſes : Monachos eo viuo malè exceptos, ne hoſtis quidem audeat dicere. Claudam riuos neceſſe eſt, nec ſim tibi ferendus vltrà, ſi pergam, nec ſis mihi: nondũ tamen hoc vnum mihi liquet, Sixte, planum fieri cuperem, occiſi Principis cauſas non amplius requiro, ſufficit te iuſsiſſe, fit pro ratione voluntas. At cur vmbras etiam perſequeris, cur peccaſſe in ſpiritum ſanctum, cur obſtinati, impœnitentis, ingrati animi accuſas? cur Caino, cur Iudæ æquas? hem, quo iudicio illud tandẽ, num de fide moriens dubitauit? num negauit æterni Dei æternum filium? num antiquos Eccleſiæ ritus, & morientibus vtilia ſacramenta neglexit? At tu iterũ inſigniter mendax, quid me toties acerbiſsimi luctus memoriam cogis repetere? Certum eſt pium principem, ſimul ac à medicis curatus, & lectulo impoſitus, à vulnere quieuit, ſuo ore ſuas preces concepiſſe, claraque voce quid de fide & ſalute ſentiret, enunciaſſe: additis his ad deum verbis: ſi mihi vitã produci, longi-

longioresque concedi dies, gloriæ tuę ratio, & populorum meorum commoda postulent, supplex à te, domine, criminibus meis veniam, annis remotiorem terminum posco: sin minus, optimè mecum agi agnosco, pater, cui vlterius peccandi libertatem detrahis, tibiq; grauius irascẽdi causas, quò me vocas prompto paratoq; animo feror. Finitis precibus, fratrem Nauarræum, primoresq; castrorum ad se vocari iubet: fratri imperij curam populosq; regendos tradit, sic postulante Galliæ lege; sæpiusq; illam repetijt vocem, qua summi illi in vnum cogendi sacri pecoris desiderium vnicè commendabat, vtq; regni, sic pij instituti hæres, rem vtilissimam ad exitum perducat, multis verbis orat, hoc vnum fuisse sibi á puero votum. Discedunt mœsti omnes; dein sacris pastoris auribus admotus, delicta sua enumerat, petitaq; à Deo venia, sibi datam in nomine Christi saluatoris intellexit: cuius corpori mox communicaturus palàm, publicè, audientibus omnibus, quã à Deo peccatorum suorũ gratiam acceperat, eandem hostibus omnibus, ipsisq; etiam in-

terfectoribus reddit: sicq; sacro oleo vnctus, inter astantium gemitus lachrymisq; mixtas preces, lętus & hilaris expirauit. Hic ego Sixte, nulla video desperatæ salutis argumẽta, nullũ impenitentis (vt verbis tuis vtar) signũ: nec te adeò vecordẽ credam, vt regem Christianissimum, Sauli æquare velis, nisi aut tu Samuële major, aut castigati rebellis exemplum, seruati Amalecitæ & neglecti diuini mandati crimine grauius videatur: æquetur tamen si libet, modò ne Saule grauiora audiat, ne quid durius patiatur. Vide quibus verbis indignatio in impium regem exprimatur: recessit (inquit propheta) spiritus Domini à Saule: & alibi ad Samuelem Dominus: vsquequo luges Saulem, cùm ego proiecerim eum ne regnet? Num miserum, num infaustum, æterna damnatione dignũ dicit? absit. Cùm verò de eius morte agitur, memoranda illa Dauidis verba ad infelicem adolescentem, qui manu sua obtruncatum in acie principem, falso gloriabatur. Quare nõ timuisti mittere manũ in Christum Domini, & alibi millies, Quis extendet manum in Christum Domini, &

inno-

innocens erit? Reſponde, Sixte, an tua ſęuior oratio, qua parricidia laudãdo, imperas, an propoſitũ ad imitationẽ exemplum corrumpi auctoritate tua debeat? perierat tamen in acie Saul, occidit eum Amalecita hoſtis, nihil illic humanis legibus vetitum, non tulit nihilominus diuina vltio, chriſtiq; ſui caſum Dominus vindicauit: videitẽ quid de Ioa, quid de Ammone occiſis narret hiſtoria, licet impijs regibus, licet abominandi ritus auctoribus, licet inuiſis Deo. Vide, lege, perlege ſacras, prophanas hiſtorias omnes, non modò naturæ tantum, non humanæ ſocietatis ratio, non diuinum imperium à ſacro Regum corpore impias manus arcet, ſed etiam pœnarum exempla. E duodecim Cęſaribus ſuis, octo ferro ſublatos vidit Roma ſcelerum ferax, nullum inultum. Sixte, Regũ vltor hîc quicunq; ſuccedit, hoc ſacrum firmandis imperijs vinculum, hoc arcanum regni. id dudum aliena hiſtoria tibi notũ, diſces domeſtica. abi pontifex, hoc reſponſo ſuperbus, vel Indos vel toto remotos orbe Britãnos nunc pete, tua te fata manent, majore ſub hoſte.

FINIS.